

AESCHYLI AUT HUIUS FABULAE CODICES
MANUSCRIPTI.

M. Codex Mediceus, membranaceus, Bibliothecae Laurentianae Florentinae (Plut. XXXII. 9.), saeculi X. aut XI. Ut vetustissimus, ita praestantissimus et maxime fide dignus. Praeter reliquas Aeschyli fabulas insunt Agamemnonis fabulae vv. 1—310. et 1067—1159. Ceterae portiones (duae fere partes) perierunt. Insunt praeterea Sophoclis septem fabulae et Apollonii Rhodii Argonautica. Accuratas ejus collationes exhibent Franzii, Hermanni, et Weckleinii editiones.

G. Guelpherbytanus, chartaceus, saeculi XV. Eaedem Agamemnonis portiones atque in Mediceo insunt, cujus manifesto apographum est.

Ma. (sive Fl. 2.). Marcianus, bombycinus, nunc Bibliothecae Laurentianae Florentinae, saeculi XV., apographum et hoc codicis Medicei easdemque fabulae portiones continens.

B. (sive V. 2.). Bessarionis codex, chartaceus, Bibliothecae Marcianae Venetae (468. sive XCI. 4.), saeculi circiter XIII. Apographum Medicei, ante foliorum quae desunt interitum, ut videtur, factum. Insunt Agamemnonis vv. 1—348. Collatus, ut V. et F., in usum Hermanni a Bekkero.

V. (sive V. 1.). Bibliothecae Marcianae Venetae (616. sive XCI. 5.) membranaceus, saeculi XIII. Insunt vv. 1—45. et 1095. ad finem.

Fl. Chartaceus, Bibliothecae Laurentianae Florentinae (Plut. XXXI. 8.), saeculi XIV. Integram fabulam continet. Eo usus est Victorius. Bonae notae codex.

F. Farnesianus, bombycinus, Demetrii Triclinii manu scriptus, hodie in Museo Neapolitano servatus, saeculi XIV. Integram fabulam ex Triclinii recensione, qui plurimas ex conjectura emendationes, non raro felices, et scholia utilia addidit. Diligentissime collatus ab Elmsleio.

Quid discrimen auctoritatis inter tres posteriores, quas ejusdem familiae esse constat, et quattuor priores codices intersit accurate statuere difficile est; sed quin multae corruptelae manifestae omnium codicum qui supersunt communes sint dubitari non potest.
